



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Porci cultus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Antiquiores luce prædicarent, cujusmodi quippe erat illud quod dixere Chaos inanis, bruta, & stupens materia, formæ expers, ac tenebrarum omnium conceptaculum, eaque de causa Porcum tenebrarum & cœcitatæ simulacrum esse profiterentur, quod oculos ita superne obumbratos supercilli prominentia fortitus est, ut cœlum tot luminibus insigne, tot lampadibus illustre, nunquam intueatur, cernuus vero semper humum despiciat; terram inquam ipsam, & noctis & totius obscuritatis parentem unice contempletur, congrua admodum visa est similitudo, & vera sympathia: ut, qui tanto cultu tenebras prosequerentur, animal averfam à luce identidem admirarentur: nam ea quoque de causa Crocodilum, ut loco suo dictum videbis, pro Deo coluerunt. Porro Alexander Aphrodisæus Suem ait pronum adeo, ciboque deditum, ut si forte sursum aspiceretur, protinus stupore percussus sileat ob insolentiam. Addunt hepar ejus imminui cava Luna, atque consensum cum ea quandam habere, Luna vero sunt pulla omnia dedicata.

PORCI CULTUS. CAP. XXIV.

B Quinimo adjiciunt, non Ægyptios tantum id honoris Porco habitum voluisse, verum alias etiam gentes Porcum inter numina collocasse. In Creta enim sacra erat Sus, quod creditum sit animal hoc nascenti Jovi mammam summisse, puerique vagitum, ne audiretur à quopiam grunnitu pervicisse: licet hoc Amalthææ Capræ assignent plurimi, usque adeo nullum apud vetustatem illam totius imperitam veritatis, tam impudens mendacium erat, quod vanitas eorum temporum non admitteret, & religiosissime approbaret.

MILITARIS ORDO. CAP. XXV.

Porcum sane Romani inter signa militaria non sunt admittere dedignati: quæ quintum continebant locum, & instructæ aciei rationem figuramve quandam, *Porcinam frontem* appellabant.

JOVII. CAP. XXVI.

In gestaminibus vero militaribus Romanorum quæsierit forte aliquis, quid sibi velit Sus coloris ^{sua rufi coloris quid.} rufi, habitu quodam fedenti, positus quippe clunibus, ac reliquo corpore surrecto, quæ spectatur in cæruleo clypeo, cujus marginè ruber ambit circulus. Insigne hoc erat eorum ordinum, qui Jovii appellabantur, Diocletiani principatu, & sub illustri viro, Magistro peditum nuncupato, militabant.

HONORIANI. CAP. XXVII.

In eadem igitur Romana militia præferabatur albus clypeus, cujus aureus erat umbilicus à luteo circulo circumscriptus. Circulo innitebantur dimidiati Porci duo coloris præfati, alter alterum inspeciente. Insigne hoc erat eorum militum, qui Honoriani vocati sunt, ab Honorio principe instituti, hi que sub Magistro equitum stipendia faciebant.

AGRICOLA. CAP. XXVIII.

Sed ut ad Ægyptios redeamus, sunt qui aliam etiam affirmant causam, cur animal hoc Ægyptii voluerint esse inviolabile: nempe quod apud eos Porci agricolationis usum præstarent, frumentariamque rem alicubi solis eorum operis adjuvarent. Nam qui, ut Eudoxus ait, propinquiorem Nilo regionem accolunt, quæ satis mollis & irrigua est, nullo aratri, rastrive aut farculi usu freti, suilibus tantum vestigiis terram subigunt: exundante scilicet Nilo remollescit terra, cumque redierit in alveum, lementem faciunt, inde Porcos abigentes oculunt & terræ mandant, dum illi & rictu terram subvertunt, & sparsa per agrum semina pedibus occulcant. Sane Latini utilissimum satis sulcum ^{Porca utilissimus sulcus.} Porcam appellaverunt, rarum eum scilicet, qui deducitur aquæ derivandæ gratia: quippe ut aquam frumentis nocere prohibeat. Inde veteres porcare pro prohibere usurpaverunt, quamvis Varro elatam terram inter duos sulcos ideo Porcam vocari dicit, quod ea seges frumentum porricit. Sic cum Diis extadabant Porricere dicebant. Quoniam autem mirifice inter se congruunt hieroglyphica cum sacrificiorum ritibus, quod utraque iisdem causis plurimum inniti videantur (nam uti paulo ante positum est, hieroglyphicum vaniloquentiæ per Porcum, quem Elephantis aversetur, in sacrificiis identidem immolatur Porcus, ab laborantibus delirio verborum, atque etiam insaniam, quod terrenis præcipue sensibus additus applicitusque est, sponteque & voluptuose admodum inhæsit luto, lasciviæ turpitudinumque simulacrum habetur: idem in sacrificiis Maja, & Diis terrenis offertur, & ita demum in plerisque aliis hieroglyphicis, idem consensus est) non incongruam rem me facturum existimavi, si de